

APPENDIX AD NAZARIUM.

PANEGYRICI VETERES AB ALIIS CONSTANTINO DICTI.

INCERTI AUCTORIS PANEGYRICUS
MAXIMIANO ET CONSTANTINO DICTUS.

MONITUM.

Panegyricus iste, ut legenti statim liquet, in celebritate nuptiarum Constantini et Faustæ Maximiani filię pronuntiatus est anno Christi 307, cum Maximianus o Lucanię secessu ad resumendum quod agre dimiserat imperium, et struendas Constantino insidias Treveros, ubi is erat, accessisset, ibique Faustam conjugem simul cum Augusti nomine acciperet. Auctor incertus est. Hunc Æduum fuisse putat Sigonius: sed quo argumento nitatur haud apparet.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

In exordio. — Cum pro more celebrandæ sint oratione Constantini jam Augusti cum Faustæ Maximiani filię nuptiæ, tum præcipue totius reipublicæ nomine id a se fieri dicit oportere, qui hac præsentis lætitiæ perfruatur.

Distributio videtur esse. I. De Constantini. II. De Maximiani laudibus, n. 2.

I. Pars. — Quid Maximianum moverit, ut hunc jure adoptionis nepotem, in ætatis ordine filium, etiam generum esse vellet. Nimirum quod patrem Constantium non specie modo, sed continentia, fortitudine, justitia, prudentia repræsenteret, n. 3. Hujus comparationis singula capita persequitur, n. 4. Quod Cæsaris appellatione contentius expectare maluisset, ut ab eodem, quo pater suus, declararetur Augustus, n. 5. Quod jam dudum hunc sibi generum destinasset, cum in Aquileiensi palatio tabulam exhiberi jussisset, in qua Faustæ Constantino adhuc puero galeam offerebat, n. 6.

II. Pars. — Transit ad Maximianum, quem laudat quod Gallias pacavit, quod Romani signa trans Rhenum barbaris gentibus intulerit, quod in Mauritania

A quinquegentenas nationes domuerit, quod post tot tantisque victorias Romæ triumphavit, n. 8. Ingeniose conqueritur quod reipublicæ curam ad tempus deposuerit, n. 9.

In fine. — Compellat utrumque imperatorem ex quorum nova affinitate nihil non sperandum dicit, sic enim fundandum deinceps imperium virtute juvenis et maturitate senioris, n. 13. Convertit orationem ad Constantium cælo fruente, quo adempto adhuc supervisit et Maximiano filius, nec Constantino pater desit; denique multam sobolem Constantino precatur, n. 14.

I. Dixerint licet plurimi multique dicturi sint ea, quibus omnia facta vestra summarumque virtutum merita laudantur, sacratissimi Principes, Maximiane, velis, nolis, semper Auguste, et Constantine oriens Imperator; mihi tamen certum est ea præcipue isto sermone complecti, quæ sunt hujus propria lætitiæ, qua tibi Cæsari additum nomen imperii, et istarum cælestium nuptiarum festa celebrantur: cætera enim in rempublicam beneficia vestra possunt multis occasionibus diversorum temporum prædicari: huic voto propria nunc debetur oratio, quod semel factum futurum est sempiternum. Equidem scio gaudium studia nunc ita toto orbe florescere, quacumque Fama ultra naturam, qua fingitur discursus volucres mutuata, et plus quam mille vocibus sonora, percerebit, ut omnium nationum gratulationibus consecratur; quid enim rebus humanis contingere potuit aut nobilior ad gloriam, aut certius ad salutem, quam quod pristinae vestrae concordiae perpetuæque pietati hoc quoque pignus accessit, summorum nominum arctissima conjunctione venerabile, ut imperatori filiam collocaverit imperator? Sed tamen nos oportet omnes homines

VARIORUM NOTÆ.

I. Velis, nolis. Adulatorie dictum, quasi Maximianus invitus, et ad obsequendum tantum diis, abdicatam ante quatuor annos purpuram resumpsisset. Quod tamen regnandi cupiditate et solitudinis tædio ab eo factum tradunt Eutrop., Victor et alii. Maximianum harum nuptiarum tempore Augustum fuisse videtur esse contra fidem historię, ut observat Antonius Schonovius.

Oriens imperator. Tum enim cum habita est oratio, Constantinus ex Cæsare primum dictus est Augustus.

Nomen imperii. In aliquot exemplaribus est nomen imper. Quo fit ut legendum suspicer nomen imperatoris, potius quam imperii. Et vero infra n. 2: Et tibi, Constantine, per socerum nomen imperatoris accrevit.

Nuptiarum festa. Constantini et Faustæ Maximiani ex Theodora filię. Euseb., Sozom., Zonar., etc.

Huic voto. Videtur auctor hanc orationem votum inscriptam voluisse. Nam, n. 13: Sicut huic voto congruit, id est, huic orationi meæ: sic enim quia imperatores instar deorum colebant, et quidquid ad eos pertinebat sacrum erat, non mirum si votum appellat orationem, quam ipsi fortasse promiserat. Infra n. 7: Ita dicam, ut veritas meæ erga te devotionis appareat.

Quacumque fama. Hoc est: In quacumque partem diffusa est fama supra naturam, qua exhibetur sub specie volantis alitis.

Discursus volucres. Lege cum Acidalio, Discursu volucris incitata, et plus quam, etc.

Pignus accessit. Id est, Maximiani filia, infra n. 3, cum ab eo pignus ipsi charissimum postulares.

Sed tamen. Hoc est: Sed tamen par est nos omnium maxime lætari.

exultatione superare, qui hoc tantum reipublicæ bonum præsentem intuemur, et ipsa vultuum vestrorum contemplatione sentimus ita convenisse vos, ita non dexteram tantum, sed etiam omnes sensus vestros mentesque junxisse, ut, si fieri possit, transire iavim in pectora vestra cupiat.

II. Quid enim aut tu carius dare, aut tu carius accipere potuisti, cum hac affinitate vestra et tibi, Maximiane, per generum juvena renovata sit, et tibi, Constantine, per socerum nomen imperatoris accreverit? Maximas itaque vobis, æterni principes, publico nomine gratias agimus, quod suscipiendis liberis optandisque nepotibus seriem vestri generis prorogando omnibus in futurum sæculis providetis ut Romana res, olim diversis regentium moribus fatisque jactata, tandem perpetuis domus vestræ radicibus coalescat, tamque sit immortale illius imperium quam sempiterna soboles imperatorum. Hæc est vera pietas, hæc voluptas conservandi generis humani, exemplum dare gentibus ad matrimonia studiosius expetenda, et liberos educandos, ut substituendis successionibus singulorum nihil obsit unumquemque esse mortalem, cum immortalis sit posteritate republica. Quare si leges hæc, quæ multa cælibes notaverunt, parentes præmiis honorarunt, vere dicuntur esse fundamenta reipublicæ, quia seminarium juventutis, et quasi fontem humani corporis semper Romanis exercitiis ministrarunt, quod huic vestro in rempublicam merito possumus dignum nomen adscribere? qui non plebcio germine, sed imperatoria stirpe rempublicam propagatis, ut quod millesimo anno post Urbem conditam evenisse tandem gratulabamur, ne mutatoria per novas familias communis salutis gubernacula traderentur, id est, omnibus duret ætatibus, imperatores semper Herculi.

III. Quemnam igitur utriusque vestrum præconii ac venerationis ordinem faciam? adhuc enim de amborum in hanc necessitudinem congruentibus votis

VARIORUM NOTÆ.

II. *Juventa renovata sit.* Maximianus enim tum sexagenarium annum attingebat.

Prorogando. Alii ex veteri codice *propagando*. Et vero mox qui imperatoria stirpe rempublicam propagatis.

Coalescat. Infra n. 13: *Perpetuis profecto affinitas ista coalescet stirpibus, quæ semper summos in republica viros ad concordiam copulavit.*

Voluptas conservandi. Melius Acidalius voluntas.

Cum immortalis sit. Dum alii homines aliis succedunt, etsi singuli mortales sint, sit tamen ut velut integra atque eadem semper sit respublica, et sic propagata posteritate velut immortalis.

Millesimo anno. Sub duobus Philippis, cum filius patri successit.

Id est, omnibus. Lege cum Grutero *idem*, vel cum aliis *id*.

III. *Junior.* Si cum sexagenario Maximiano conferratur, ipse enim Constantinus agebat annum 34.

Sed profecto. Versatur in lubrico loco, dubius utrius imperatoris laudes primum persequatur.

Et paterni et tui. Maximianus enim Constantium Constantini patrem, Cæsarem et Augustum fecerat.

Natura signavit. Idipsum confirmat alias his verbis *Inde est quod tanta ex illo in te formæ similitudo trans-*

communiter dixi. Et te quidem sentio, senior Auguste, majestate præcedere, te sequi, junior Imperator. Sed profecto sicut tuo, Constantine, socero ante est conciliata divinitas, quam ab eo pignus ipsi charissimum postulares; sic et nunc quoque in hac gratulatione prius illa dicenda sunt, quæ in te considerans tantus iste, et paterni et tui auctor imperii, lætatus est quod petisti. O divinum tuum, Maximiane, iudicium, qui hunc tibi jure adoptionis nepotem, majestatis ordine filium, etiam generum esse voluisti! Divi, inquam, Constantii filium, in quem se prima illius juvena transfudit, in cujus ore cælestes illius vultus natura signavit, qui aspectum illius ad deorum concilia translatis adhuc desiderantibus nobis sufficit pro duobus. Neque enim forma tantum in te patris, Constantine, sed etiam continentia, fortitudo, justitia, prudentia sese votis gentium præsentant.

IV. Quo enim magis continentiam patris æquare potuisti, quam quod te ab ipso sine pueritiæ illico matrimonii legibus tradidisti, ut primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres; novum jam tum miraculum, juvenis uxoris? Sed, ut res est, mente præsaga omnibus te verecundiæ observationibus imbuebas, talem postea ducturus uxorem. Fortitudinem autem illius jam tum in principiis consecutus es. Multa ille Francorum millia, qui Bataviam, aliasque cis Rhenum terras invaserant, interfecit, depulit, cepit, abduxit: tu jam ab ipsis eorum regibus auspicatus es, simulque et præterita illorum scelera punisti, et totius gentis lubricam fidem timore vinxisti. Liberavit ille Britannias servitute; tu etiam nobiles illic oriendo fecisti. Plurimas ille barbaras nationes victoria domuit, venia mitigavit; tibi cunctis hostibus alacritatis tuæ terrore compressis interim deest materia viuendi.

ivit, ut signante natura vultibus tuis impressa videatur. Idem aspectus, eadem in fronte gravitas, eadem in oculis et in ore tranquillitas: sic est index modestiæ rubor, etc.

IV. *Primo ingressu adolescentiæ.* Locus insignis ad probandam et Constantii et Constantini continentiam: sed id in utriusque vita expendimus.

Multa ille Francorum millia. De Constantii expeditione sic scribitur in alio panegyrico: *Nec contentus eas vicissa, ipsas in Romanas transtulit nationes, ut non solum arma, sed et feritatem ponere cogere.* Ibidem de Britanniis post decimum tandem annum recuperatis.

Eorum regibus. Ascarico et Regaiso quos statim a Constantii morte turbas molientes Constantinus fregit, ac bello captos in theatrum induxit belluis dilaniandos. Eutrop.

Oriendo. His potissimum verbis nituntur, qui Constantium in Britannia natum putant; quæ etsi in alium sensum detorqueri possint, tamen de tali Constantini ortu accipienda esse observavimus in ejus vita.

Tibi cunctis. Hoc est, *Postquam fregisti hostes omnes fortitudine tua territos.*

V. *Justitiam vero patris atque pietatem sic imitaris et sequeris, ut omnibus ad te confugientibus, diversamque opem aut contra aliorum injurias, aut pro suis commodis postulantis, quasi legata patris videaris exolvere; idque ipsum coram gaudeas prædicari, quidquid tu juste ac liberaliter feceris, filium Constantii necessario præstitisse. Nam quid ego de prudentia dicam, qua te pene credimus fore ipso patre potiorum? qui veteres illos Romanæ reipublicæ principes, superiorem Africanum, Pompeiumque Magnum, ætatis cursum virtute prævectos, tam mature sumpto vincis imperio, tantarumque rerum sustines molem incipiente virtute. Gesseris enim multa fortiter licet, multa sapienter, cum per maximos tribunatus stipendia prima conficeres; sentias necesse est tantæ auspiciæ fortunæ, Imperator adolescens. Quanquam quid ego in te ætatis tuæ potius quam gravitatis nomen usurpo? cujus tanta maturitas est, ut cum tibi pater imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus, expectare malueris, ut idem te, qui illum declararet Augustum. Siquidem ipsum imperium hoc fore pulchrius judicabas, si id non hæreditarium ex successione crevisses, sed virtutibus tuis debitum a summo Imperatore meruisses.*

VI. *Neque enim dubium quin tibi mature sacrum istud fastigium divinæ potestatis astrueret, qui te jam olim sibi generum etiam antequam petere posses sponte delegerat. Hoc enim, ut audio, imago illa declarat in Aquileiensi palatio, ad ipsum convivii posita aspectum, ubi puella jam divino decore venerabilis, sed adhuc imperii sui, sustinet atque offert tibi etiam tum puero galeam auro gemmisque radiantem, et pennis pulchræ alitis eminentem: ut te, quod vix ulla possunt habitus*

A ornamenta præstare, sponsale munus faciat pulchriorem. Fortunatus pictor ille, quisquis fuit, et quamvis Apellem, ipsumque Parrhasium scientia vicerit, materia tamen imaginis quam arte felicior! Quanquam enim ipsi serant difficillimam esse, præcipue cujusque formæ, imitationem, quia certis sui notis cito deformitas exprimitur, similitudo tamen pulchritudinis tam sit ardua quam rara est pulchritudo; non tantum tamen ille cepit laboris ex ore vestro divinas species transferendo, quantum divinitatis hausit cominus vos inspiciendo, intuendo sollicitè et curiose ab hilaritate illius ætatis vultus immobiles et serios exigendo, promendo denique amoris vestri tacita præsentia; ut, quod invicem vobis verecundia negabat, libere vos in imagine cerneretis.

B VII. *Sed profecto hoc jam tum, Maximiane, divina mente præsumperas, hoc cum ferret ætas, ut rogareris optaveras, cum tibi in illa jucundissima sede lætitiæ, harum nuptiarum gaudia prædestinabas; ut simul illam parvulam et hunc intuendo crescentem diu fruereris expectatione voti, quod hac conjunctione firmasti. Quid enim competentius, quid providentia tua dignius facere potuisti? quam ut ejus filio, quem tibi pridem et affinitate adseiveras, et majestate sociaveras, nunc ex intimis affectibus traderes summi pignus imperii? Hæc est tua, Maximiane, inter omnes principes propria largitio. Alii divitias, aut honores, aut ipsa etiam imperia, sed sola donarunt, tu animo majore quam cæteri pariter indulges, et quod pietas tua habet charissimum, et quod fortuna præcipuum. Nec tamen miranda ista in te est, Maximiane, animi magnitudo, in quem dii immortales tanta congesterunt et naturæ bona, et ornamenta fortunæ, ut quamvis maxi-*

VARIORUM NOTÆ.

V. *Superiorem Africanum.* Id est, Scipionem Africanum majorem de quo vide Plinii paneg.

Pompeiumque. Is cum annorum esset adhuc 17, sub patre Pompeio meruit, anno vero ætatis 25, tres legiones ipse ad Syllam duxit, ac tertio post anno recepta Italia et Nicomedia triumphavit. De cæteris ejus victoriis vide Plutarchum.

Mature sumpto vincis imperio. Nazar., n. 16; *Tu imp. opt. inito principatu adhuc ævi immaturus; sed jam maturus imperio ostendisti cursum ætatis non expectandum in festinatione virtutis.*

Tantarumque rerum. Hoc est, *Et hoc prima ætate summarum rerum gestarum gloria præstares.*

Maximos Tribunatus. Hoc est, *Maximus Tribunus.*

Appellatione contentus. Huic loco consentiunt Eutropius, Zozimus, Victor, etc.

VI. *Imago illa.* De imagine ista nullibi, quod sciam, præterquam hoc in loco mentio est, sed nimirum levius quiddam est, quam ut locum habeat in historia.

Aquileiensi palatio. Aquileia in Italia Carnorum Metropolis, inter Concordiam urbem ad occidentem, Tergestum ad orientem, et mare Adriaticum, ad meridiem a quo de vix 9 milliar. distat. *Aquilæc.*

Pulchræ alitis. Pavonem propter varium penarum fulgorem pulchram alitem appellat.

Apellem. Apelles pictor fuit eximius, patria Cos (Cos autem una ex insulis Cycladibus est); is picturæ plura solus prope contulit, quam cæteri omnes. Flo-

ruit Alexandri Macedonis temporibus, qui tantum illi tribuit, ut ab uno illo pingi se voluerit. Moriens Venerem Cos quam inchoarat reliquit imperfectam, vel sic tamen ita præstantem ut eam nemo pictor ausus sit absolvere. Ovid. :

Si nunquam Venerem Cos pinxisset Apelles,
Mœsta sub æquoreis illa lateret aquis.

Parrhasium. Parrhasius idem pictor fuit celeberrimus, patria Epheso, qui cum de picturæ laude cum Zeuxide contendisset, isque vis apte et ex arte pictis aves sefellisset; Parrhasius non aves tantum, sed laudis suæ æmulum linteo expasso decepit. Vixit paulo ante Apellem.

Præcipue cujusque formæ. Lege cum Acidalio præcipuæ, id est, præstantis et eximie: mox similitudo tamen, lege similitudo autem.

VIII. *Mente.* Hoc est, *animo præceperas.*

Jucundissima sede lætitiæ. In eo loco ubi regnat lætitiæ Bacchus dator, et Æneid. 1, 738.

Prædestinabas. Vox haud Ciceroniana pro eo quod est *animo præcipiebas.*

Ut simul. Id est, ut in imagine illa Faustam filiam tuam, simul et puerum Constantinum crescentes dum videres, pasceres te jucunda expectatione desiderii tui, quod utriusque nuptiis firmasti.

Quid enim. Hoc est, *quid enim convenientius.*

Affinitate adseiveras. Cum Theodoram privignam suam Constantio collocavit.

Largitio. Hoc est, munificentia.

ma largiaris, ita penes te sint omnia quasi ea solus obtineas. Ut enim ille qui omnes aquas caelo et terris praebet Oceanus semper tamen in motibus suis totus est; ita tu potes imperium, Maximiane, donare, non potes non habere. De quo ego cum ad id loci venero ita dicam, ut fortasse quibusdam videar audacior, veritas tamen meae erga te devotionis appareat.

VIII. Nunc enim sequitur ut, quoniam virtutes tuas, Constantine Auguste, socio praedicavi, tu quoque, licet optime scias, tamen audias quanti te principis ornet affinitas. Hic est qui nomen, quod accepit a Deo principe generis sui, dedit vobis, qui se progeniem esse Herculis non adulationibus fabulosis, sed aequatis virtutibus comprobavit. Hic est qui, in ipso ortu numinis sui, Gallias priorum temporum injuriis efferatas, reipublicae ad obsequium reddidit, sibi ipsas ad salutem. Hic, quod jam falso traditum de antiquis imperatoribus putabatur, Romana trans Rhenum signa primus barbaris gentibus intulit. Illius cum fratre rursus ac saepius expeditionibus domita Germania, aut boni consulit ut quiescat, aut laetatur quasi amica si pareat. Tu ferocissimos Mauritaniae populos inaccessis montium jugis, et naturali munitione sidentes expugnasti, recepisti, transtulisti. Te primo ingressu tuo tanta laetitia, tanta frequentia populus excepit, ut cum te ad Capitolini Jovis gremium vel oculis ferre gestiret, stipatione sui vix ad portas urbis admitteret. Te rursus vicesimo anno imperatorem, octavo consulem ita ipsa amplexu quodam suo Roma voluit detinere, ut videretur augurari jam et timere quod factum est. Est enim, Imperator aeternae, in quo uno querelam reipublicae pene meruisti.

IX. Audi doloris nostri liberam vocem. Siquidem dii ipsi quod plerumque humanas res negligant, dum

A querimur ignoscunt, quibus aliud fortasse curantibus grandines ruunt, terrae dehiscunt, urbes hauriuntur. Quae non illis hauriuntur volentibus, sed aut aliorum aspicientibus, aut fatali rerum cursu urgente videntur accidere. Tale est, imperator, quod omnibus nobis incluso gemitu moerentibus facere voluisti, non quidem tu reipublicae negligentia, aut laboris fuga, aut desidia cupiditate ductus, sed consilii olim, ut res est, inter vos placiti constantia et pietate fraterna; ne quem totius vitae summarumque rerum socium semper habuisses, in alienius facti communitate desereres, ne vel illius, viderit quali, certe novae laudi cederes. Verum longe diversa in vos erat causa declinandi aut sustinendi laboris. Quamquam etsi totam excusationem aetatis afferres, sic quoque tibi reipublicae curis non erat abnuendum. An si maximus quisque natu gubernator est certissimus ad salutem, non is est optimus qui usu peritissimus imperator? aut te unquam Constantini liberi nostri nepotesque patientur, vel cum ad summam perveneris senectutem reipublicae vela contrahere, quae tam felicibus ventis etiam juvenis impleveris? Sed tamen utrumque fas fuerit eum principem, quem anni cogere, aut valetudo deficeret receptui canere; te vero, in quo adhuc istae sunt integre solidaeque vires, hic totius corporis vigor, hic imperatorius ardor oculorum, immutatum otium sperasse miramur. Quid enim aliud participi maiestatis tuae dari potuit veniam quietis, quam ut tu imperio succederes pro duobus?

C X. Sed profecto exegit hoc ipsa varietas et natura fortunae, cui nihil mutare licuerat, dum vos imperium teneretis, ut illa viginti annorum continua felicitas intervallo aliquo distingueretur: aut etiam dii immortales probare voluerunt tibi innixam stetisse rempublicam, cum sine te stare non posset. Quamquam in

VARIORUM NOTAE.

Semper, hoc est tamen in aquarum suarum dispensatione integer manet.

VIII. *Aequatis.* Id est, paribus virtutibus.

In ipso ortu numinis sui. Simul Maximianus Caesar factus est Gallias Carini Caesaris vexationibus ac ferocia exacerbatas, et rebellionem meditantes compressit.

Quod jam falso. Id est, quod de veteribus imperatoribus Caesare, Tiberio, Trajano referebatur, arma eos barbaris ultra Rhenum intulisse: Maximiani tempore fabulae loco erat, adeo nihil simile visum ab his usque temporibus, donec ille omnium primus hae fortitudinis exempla instauravit.

Cum fratre. Diocletiano.

Aut boni consulit. Mirifice Pacatus amavit hunc panegyricum, ex quo jam unum aut alterum locum pene exscripsit, n. 22: *Quaecumque natio barbarorum robore, ferocia, numero gravis unquam vobis fuit, aut boni consulit ut quiescat, aut laetatur quasi amica si serviat.*

Aut boni. Hoc est, partim id aequo animo fert, ut pacem habeat, partim gaudet, quae nobis subjecta est, quasi sponte jugum ferat.

Populus excepit. Tangit triumphum quem Maximianus cum Diocletiano egit an. Chr. 298, Romam post subjectos Mauros reversus. Victores autem in Capitolium deducebantur.

Stipatione. Hoc est, ut vix subire posset urbis portas, tanta te populi multitudo stipabat.

Te rursus vicesimo anno. Maximianus imperium cum Diocletiano abdicavit anno Chr. 304 qui erat ejus imperii annus nonus post decimum, certe quidem si ab eo, quo Caesar factus est, anno computantur.

IX. *Audi doloris nostri.* Plenus artificii locus, in quo levitatis notam a Maximiano amolitur.

Incluso, hoc est, intimo in pectore gementibus.

Ut res est. Hanc loquendi formulam hujus aetatis propriam esse supra notavimus.

Ne vel illius. Neve illius. Acidal.— Id est, neve illi inferior esses, novae quidem huic laudi, qualiscumque illa foret.

In vos. Inter vos. Acidal.; vel vobis, Langius.

Abnuendum. Alii abeundum, malim abstinendum, vel absistendum, ut suspicatur Acidalium.

Constantini liberi nostri. Ita cum Rhenano lego et Daviele, pro Constantini liberi nostri, ut est in Putaana editione.

Quid enim aliud. Sensus est: Quid enim aliud fuit, quamobrem Diocletiano imperii tui socio veniam dederimus, quod quietem imperatoris laboribus preposuerit, nisi quia sic effecit, ut tu pro duobus imperium administrares.

istis quidem partibus, non caruit pristina firmitate: A non utitur illa, quam degustaverat voluptate, tantumque reipublicæ onus suscipit post quietem. Facilius fuerat jugiter imperasse: quamvis enim magnum laborem consuetudo non sentit, intermissa desiderant novas vires.

XI. Quousque hoc, Maximiane, patiar, me quati, te quiescere, mihi libertatem adimi, te usurpare tibi illicitam missionem? An quod Divo Augusto post septuaginta ætatis, quinquaginta imperii non licuit annos, tam cito licuit? Ideone te mihi ille, cujus tot aras, tot templa, tot nomina cælo, Hercules dedit, ut tu in suburbano otiosus sedens usum dicatæ mihi virtutis amitteres? Redde te gubernaculis meis, et quoniam tranquillo mari portum intrare properasti, vade per fluctus, mei quidem amore sollicitus, sed tua majestate securus. Et tamen, per te tibi steterit injuriam in mei restitutione patieris. Imperasti pridem rogatus a fratre, rursus impera jussus a matre. O cœlestem, imperator æternæ, pietatem tuam, quæ tuum illum animum semper invictum sola vicit. C Non potuisti resistere sanctæ illius parentis imperio, et invitus licet parvisti, et te illis vigiliis illisque curis, quas viginæ annis expertus fueras reddidisti. Quibusnam, tu domina gentium, potes compensare beneficiis hoc tui imperatoris obsequium? qui tanto usu sciens, quantus sit imperandi labor, propter te

VARIORUM NOTÆ.

X. *In istis partibus*, Id est, in Galliis, ubi hæc oratio dicebatur. Mox *ibi vero*, id est, in Italia, in qua Maxentius miras turbas excitavit.

Imperatoribus imperare. Id est, Maximiano, cui Roma pro suo jure præcipit, ut depositum resumat imperium. Eadem exercitus Maximiano abduxit, cum privatus in Lucaniam concessit, eidemque reddidit, cum adversus Maxentium eum copiis progressus est.

Ad sedandos animos. Prætorianorum cum Maxentio D rebellantium.

Supplices tibi manus tendens. Nota ingeniosam urbis Romæ prosopopœiam, ad avertendam a Maximiano, si qua erat in receptione imperii, vel invidiam, vel notam levitatis aptissimam.

Vel potius. Duas has voculas Acidalius putat esso expungendas. Verum tamen extant in omnibus editionibus.

XI. *Divo Augusto*. Obiit enim anno ætatis 76 imperii vero anno 56. Sueton.

Ut tu. Hoc est, ut mihi subtraheres virtutem, quam mihi consecraras.

Per te tibi steterit. Locus corruptus. Fortasse, tanti imperator tibi steterit: nempe reip. pacem reddere, ut hæc gloria redimenda sit tibi aliqua injuria. Tangit illud quod de eo habet Eutrop. *Herculius Maxi-*

manus post hæc in concione exercitus filium Maxentium denudare conatus, seditionem et convitia militum tulit. Rogatus a fratre. Id est, a Diocletiano, jussus a matre, id est a patria.

Facilius. Hoc est, *facilius fuisset sine ulla intermissione imperium tenuisse*. *Intermissa*. Hoc est, si tamen est aliqua intermissio, novæ vires adhibendæ sunt. XII. *Deus ille*. Maximiani et Apollinis comparatio admodum ingeniosa. Is enim relictas, et devio vectori, nempe Phaetonti, male creditas habenas necesse habuit rursus dirigere, ut pacem turbato mundo referret. *Non recipio*. In perpetuum, sed *servo*, ad tempus illud ipsum brevi tibi redditus. *Posuere*. *Æneid.* vii, 27: ... Cam venit posuere, omnisque repente Resedit flutus. *In longinquiorebus terris*. Indicat in Italia turbas a Maxentio excitatas. *Aliqua*. Id est, *aliqui sunt tumultus, et reliquæ excitatæ tempestatis fremunt*. *Ante tuos nutus*. Lege *ad nutus tuos*. XIII. *Renovastis*. Paulo enim ante Maximianus Aug. erat Constantii Aug. socer, nunc id ipsum ait a diis immortalibus esse renovatum. Siquidem rursus Maximianus imperator est Constantini socer.

XIII. Dixi pro ratione temporis, sacratissimi Principes, ea quæ in vobis invicem, ut facitis, admirari, et amare debetis. Restat ut ipsa illa, quæ separatim de virtutibus vestris locutus sum, sicut huic voto congruit in sermonis fine conjungam. Dii immortales quanta romano imperio renovastis, quæ jam, ut res

est, cesserant vetustati. Maximiano imperatori aeterno, Constantinus imperator novus plus cœpit esse quam filius. Favet ille crescenti, adest iste seniori. Perpetuis profecto affinitas ista coalescat stirpibus, quæ semper summos in republica viros ad concordiam copulavit. Etenim si quamvis dissidentes familias Gracchi et Corneliæ matrimonium reduxit in gratiam, si pro divo Augusto Actiacam victoriam tantummodo gener Agrippa confecit; quid sperandum est, cum sempiternam patris ac filii charitatem etiam nuptiarum fœdus astrinxerit? Quod si Publius Scipio bellum Punicum suscepit adolescens, ipsum postea superaturus Annibalem; si Marius a factione Sullana Urbem recepit senex, idque magno intervallo temporum evenisse memorabile est; quam facile nunc omnes metus ponat romana re-publica, quæ defenditur conjuncti imperii duabus ætatibus: pariterque nititur virtute juvenis et maturitate senioris!

XIV. Te, pater, ex ipso imperii vertice decet orbem prospicere communem, cœlestique nutu rebus humanis fata decernere, auspicia bellis gerendis da-

VARIORUM NOTÆ.

Iste seniori. Locum hunc juxta Livineii suspicionem emendatum oportuit. Ante enim erat *iste senior*, in quo mendum esse nemo, opinor, non agnoscit.

Perpetuis profecto. In editione Puteana est *perpetuis profecto pietatibus affinitas ista*, etc. Cum Grutero erasi hanc vocem *pietatibus*, quæ quidem abest in codice Langiano. Alii pro *pietatibus*, legunt *pietas et affinitas ista*, etc.

Gracchi et Corneliæ. Tiberius Sempronius Gracchus prætor Galliam domuit. Consul an. U. C. 576, Hispaniam; altero consulatu Sardiniam subegit: bis triumphavit. Is graves cum Scipione Africano majore gessit inimicitias, quibus tamen reip. causa depositis ejus filiam Corneliæ duxit conjugem.

Actiacam victoriam. Ad Actium an. U. C. 724. Relatum iv. Non. Sept. Actium autem urbs et promontorium est Epiri, ad os sinus Ambracii contra Nicopolim, ubi maritimo prælio victus est Antonius.

Gener Agrippa. Juliam Augusti filiam duxit: ter consul fuit. Huic Actiaci belli cura commissa est. *Æneid.*, vi, 682:

Parte alia, ventis et dis Agrippa secundis,
Arduus, etc.

Suscepit adolescens. Cum annorum esset 24.

Annibalem. Annibal Amilcaris filius 19 annos natus, a patre aris admotus, odium in Romanos perenne juravit. Exinde Saguntum Romanis fœderatam evertit, in Italiam trajecit, P. Scipionem apud Ticinum, Sempronium Longum apud Trebiam, Flaminium

re, componendis pacibus leges imponere: te, juvenis, indefessum ire per limites, qua romanum barbaris gentibus instat imperium, frequentes ad socerum laureas mittere, præcepta petere, effecta rescribere. Ita eveniet ut et ambo consilium pectoris unius habeatis, et uterque vires duorum. O felix in imperio, et post imperium felicior, audis enim profecto hæc, et vides, dive Constanti, quem curru pene conspicuo, dum vicinos ortus repetit occasu sol ipse in vecturus caelo exceptit! Quanto nunc gaudio potiris, quanta voluptate perfrueris, cum talem hunc filium tuum, qui te primus patrem fecit, in imperii tui possessionem idem pater, idem socer, idem imperator induxerit? Hæc est tua præter omnes divos propria immortalitas, quam videmus, filius similis aspectu, similis animo, par imperii potestate. Inviderint licet nobis, nihil tamen auferre domui tuæ fata potuerunt. Nec Maximiano filius qualis tu eras, nec Constantino pater deest. Quin etiam, ut omnibus modis tua necessitudo renovetur, rursus hic socer, rursus hic gener est, ut beatissimus imperator semper ex tua sobole nepotibus augeatur.

apud Trasimenum, Paulum et Varronem apud Cannas prælio vicit. Idem Campaniæ deliciis fractus primum a Fabio, tum a Valerio Flacco, iterum a Galerio, Graccho et Scipione superatus; ad ultimum ne Romanis traderetur, hausto quod sub annulum habebat veneno absumptus est. *Aur. Victor.*

Marius. C. Marius post Jugurtham ante currum actum, post Teutonas in Gallis, Cimbros in Italia victos, et triumphum actum, exactosque in exilio aliquot annos, Urbem cum Cinna et Sertorio ingressus eam a Syllana factione eripuit jam senior, factusque est septimum consul an. U. C. 668. *Aur. Victor.*

XIV. *Pater.* Compellat Maximianum: mox, te, juvenis, orationem convertit ad Constantium.

Componendis pacibus. Vox priscis bonæ latinitatis temporibus, aut nunquam, aut raro in plurali numero usurpata, sed in ejus ævi scriptoribus similia nonnulla identidem occurrunt, ut supra observavi.

Qua Romanum. Id est, *In eam imperii Romani partem quæ barbaris gentibus proxima est.*

Curru pene conspicuo. Ita restituendus fuit ex veteri codice pro *curru et pene conspicuo, dum vicino ortus*, etc. Sensus vero est: Quem sol ipse occidens et properans ad vicinos ortus, curru suo exceptit in cœlum evehendum, quasi occidente Constantio, Constantinus toti terrarum orbi ortus esset. Alludit autem ad nummum, cujus in postera parte Constantius curru in vectus, sinistra manu quatuor equos regens, dextram manui quæ caelo extendebatur jungens.

Idem pater. Maximianus.

EUMENII PANEGYRICUS CONTANTINO AUGUSTO.

PROOEMIUM.

Eumenii vita.

Eumenius origine Græcus in Galliis natus est Au-

gustoduni: qua in urbe, temporibus illis florentissima, et bonarum artium velut sede, ipse avum suum, cum esset octogenario major, quondam docuisse, ait, hominem Athenis ortum, Romæ diu cele-